

47  
SPECIMEN METAPHYSICUM,

*Adumbrans*

Haud contemnendi roboris, nonnulla rationum momenta,  
pro Positiva veritate Causalitatis

CAUSÆ PER ACCIDENS.

Quibus accesserunt secus philosophantium objectionis  
cuspides, & nostratum earundem nervo-  
sæ refutationes.

*Quod*

PRÆVIA DIVINA GRATIA!

*Ut &*

*Suffragio ac Decreto celeberrimi Ordinis PHILOSOPHICI  
in Regio Musarum ad Aurajoli Palladio,*

AUXILIANTE

*Viro Praclarissimo*

DN. M. SIMONE ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ

Metaph. & Log. Professore publico celeberrimoque,  
Præceptore, Promotore, ac studiorum meorum In-  
spectore, æternum devenerando.

LIBERALIS EXERCITII GRATIA

*Candidæ bonorum censuræ submissum vult*

HENNINGUS H: FULDHA Tavast:

Die 16 Octob: Anni 1686.

*In Palastra Academia superiori horis consuetis.*



\*\*\*\*\*

ABOÆ, Exc. apud JOH. LAURENTI WALLIUM, A. T.

*Reverendissimo in Christo Patri ac Domino,*

**DN. JOHANNI GEZELIO,**  
S. S. Theologiæ Doctori celeberrimo, Diceces:  
Aboëns: Episcopo eminentiss: Regiæ ejusdem Uni-  
versitatis Pro-Cancellario Ampliss: Consistoriiq;  
Ecclesiastici Præsidi gravissimo, Mecœnati, hu-  
milima mentis veneratione æternum  
prosequendo.

*U* *6*

**MAGNIFICO DN. ACADEMIÆ RECTORI,**  
MAXIME REVERENDO DN. DOCTORI,  
Professori Primario.

*Ceterisque*

**ADMODUM REVERENDIS.**  
**EXPERIENTISSIMO DN. DOCTORI.**

*Perquam Reverendis, Amplissimis ac Præcellentissimis Dominis*

**DN. DN. PROFESSORIBUS,**  
Præceptoribus, Patronis & Promotoribus.

*Omni officii cultu Devota mente jugiter  
suspiciendis.*

Salutem! prospera quævis & officia humilima! !





**U**T ad hanc Musarum Sedem, Reverendissimi DN. PRÆSUL,  
Magnificæ DN. RECTOR, Max! Reverendæ DN. DOCTOR,  
Perquam Reverendi, Experientissimi, Amplissimi, &  
Præclarissimi DN. PROFESSORES, ut inquam ad hanc  
musarum sedem, virtutum seminarium, pietatis The-  
atrum, & doctrinæ palæstram accessi, modò vestra non saltem in  
docendo benignitas, verum etiam in promovendo pietas, nec non in  
informando fidelitas, à meis teneris usque ungviculis, in me satis  
abundè apparuit. Quæ singula si penitus introspectio, nostram  
svavissimam Patriam nunquã satis felicem deprædicari posse existimo;  
cui talia contingere Ecclesiæ fulcra, pietatis custodes, juventutis  
doctores, probitatis Execempla, nec non prudentiæ germina, & o-  
mnium virtutum gravissimi patroni. O! quam felix fuit ille Dies  
qui tam illustres viros produxit in auras, unde fulceris gaudet ec-  
clesia, fulcimento nostra musarum palæstra, & in musarum radio  
sudantes juvenes debitum dulcissimumq; censervuntur nutrimen-  
tum. Quid enim esset Theologia absque Doctore? Quid Philosophia  
absque philosopho? Quid Jurisprudentia absque jurisprudente?  
imo quid medicina absque medico? O! nos itaque felices quibus da-  
ta est non modò Doctrina, verum etiam qui eandem profitentur,  
proponuntq; gravissimi fidelissimique. Gaudeant itaque incolæ  
omnesq; patriæ dum svavissimam nostram patriam, non modò  
Academia tanta prærogativa tantisque privilegiis exornatam, vi-  
deant, sed magis gaudeant & gaudio gestiant, dum virtutum il-  
lud seminarium, pietatis doctoribus & doctrinæ antistitibus con-  
decoratum esse percipiant. Gaudeant inquam, quod non solum  
fama de felici successu patriæ nostræ in omnibus vicinis finitimisq;  
per-



personæ angulis, & non saltem apud Fennos continuet, sed  
 & per totum orbem laudabili memoriâ perennabit, imo, quod po-  
 sterioritas nulla eam unquam contiescet. Verum enimvero cum  
 tota suavissima patria nostra, præsertim juvenes in literatura ver-  
 satissimi, haud parum gaudeant, cur non etiam ego Mysorum po-  
 stremus, in sinu (quod ajunt) gaudeam, & cum benignitatem ve-  
 stram in me cumulâte collatam recordor, recordor enim sapien-  
 tæ, de aliquo redhòstimento cogito. sed cum intelligam me nul-  
 latenus vestra insignia beneficia posse recompensare, in certa spe  
 sum repositus, gratissimum animum pro munusculo vobis arri-  
 surum, juxta illud Poëtæ: *Ut desint vires, tamen est laudanda vo-  
 luntas.* In humillimæ itaque mentis *πειμνησιον* & signum devotif-  
 simi animi, tibi Reverendiss. DN. PRÆSUL, Magnifice DN. RECTOR,  
 maxime reverende DN. DOCTOR, ut & vobis, Plurimum Reveren-  
 dis Experientissimæ, Præcellentissimique D. D. PROFESSORES, Præ-  
 ceptores gravissimi, hæc pagellas inscribere ausus sum. Et quam-  
 vis ambigendum foret, an intellectus mei tenelli gratitudo ali-  
 quam laudem, an vero temeritas reprehensionem mereatur; nul-  
 lus tamen dubito quin pristina vestra benignitas adhuc remaneat,  
 & munificentia vestra documenta in me longum perennent.  
 Hoc ideoque levius munus vobis humillimè offero, & ut sereno  
 vultu suscipiatis & benignitatis vestrae radiis simul illustretis,  
 submissè rogo. De cetero, Deum supplicibus veneror votis, quò  
 velit vos nobis totique patriæ salvos & incolumes in longissimam  
 annorum seriem conservare! quod ex intimis calidi cordis  
 penetrabilibus opto! optaturus etiam, pergere dum cogar fle-  
 bile mortis iter.

Tuæ Reverendissimæ Dignitatis

Tuæ Magnificentia

Tuæ Maxime Reverendæ Dignitatis

Vestrarum admodum Reverendarum Dignitatum  
& Excellentiarum

*Humillimus cultor*

HENNINGUS H. FULDHA,

*Auct. & Resp.*



Pio & candido hæc lecturo Salutem !

**L**Am dudum Cand: Lect: hanc, quam nunc tibi inno-  
cescere facio, materiam, me persculturum animum  
induxi; verum enimvero cum id ipsum tam intelle-  
ctus tenuitas, quam rerum tortuosa sublimitas hæc  
nunc denegarunt, nunc materiam (tanquam den-  
sam silvam maximis labyrinthorum Meandris undi-  
quaq; circumdatam) infinitis sinuosisque strophis repletam, sædis sen-  
tentiarum divortiiis obfuscata, & perplexis difficultatum sentibus  
gravatam, ob exigentiam illius utilitatem sub incudem diffucationi-  
nis mittere decrevi. Et licet Zoilum qui cunctis bonis operibus æ-  
liquid probro dare detrahereq;, summo Zelo urget & annicitur,  
hoc etiam invidia maculis aspersurum & denec, quod, ajunt Theo-  
mino rosurum, ne commodè & inoffenso pede protire in publicum  
queat, quam certissimus sum; illum tamen ne flocci quidem pende-  
re & me satis beatum existimare. si modo tuum Cand: Lect: solitam  
benevolentie favorem, hoc opus (sicut disci meretur) experiasur, mihi  
maturo consilio injunctum est. Quis enim quæso! musarum cul-  
tor invidiis carebat? quis ad eam unquam, ut omnibus esset æ-  
què amandus, pertransit pervenitve perfectionem? Nemo sane; nonne  
omnes adpreti insidii? annon omnes sequiorum affectuum glau-  
comate transversum alicui? imo; numnon omnium interiora seruatæ  
est malevola lingua invidiarum? cum autem neminem Apollinis ar-  
rium cupidum, invidiis carentem in stupenda hac mundi superbia  
adhuc spirasse, certò certius appareat; multo minus ego atrocitatem  
maledicentiae earum, me declinat urum puto. Te itaq; Cand: Lect:  
cui curam hujus factus optimam primitus concedo, hunc adspiranti-  
tis favoris coruscante jubare illustres, haud iniquis, sed æquis Cen-  
suris elimes & exponas, ut benignitatis tuae radios, secum trahas  
obnixè rogo. Cum autem de tuo candido lect: benevolentia & fa-  
voris patrocinio nullus dubitem, in propositorum considerationem  
eribus sectionibus, ceu ex ipsa substrata materia luculenter videre  
habet, paulatim dilabor. Sic itaq; in nomine perpetuum laudandæ  
sacrofanctæ trinitatis!

A

Esto



*Esto mihi fidei lux, vite ante omnia Jēsus !*

*O vite & fidei regula sancta mea !*

*Tu rege consiliis actus Pater optime nostros !*

*Nostrum opus ut laudi seruiat omne tuæ !*

## SECTIO PRIMA,

Κατασκευαστή

§. I.



Andidam hanc & inveteratam *Causarum* per accidens doctrinam, quidam novæ Philosophiæ auctores cōfundere & cū plumbea sua interpretatione, libertatem illius stupide labefactare conantur. Quorum sententiæ sectatores & affectuæ per plures in pulcherrimo hoc orbis terrarum systemate haud meritò sibi vendicant locum, nam multis in locis eorundem jurati satellites efferatè & immodeste tumultuantur, audacter negantes causalitatem causæ per accidens & eam plane nullam esse, majori pompa nudorum verborum, quam veritate nixi, jactitant. Innumera nobis rationum propugnacula & fastuosorum errorum peristylia, quæ contrariæ sententiæ affectatores causam per accidens oppugnatum iri satagunt, propinant: ex quibus nonnulla paulo inferius veniunt delibanda. Et videbis *Cand. Lect.* eos disputare frustra ac contra propriam hypothesin; intelligesq; eos non rei sed nudo novitatis ardore, ab ejusmodi λογωμαχίαις abstinere non posse; minime enim curant quid scriptitant & quales elatè depromunt voces ignorant, dum enim suæ perversæ sententiæ monstra quæ intra ineptissimi sui cerebelli uterum procreant, omnigenis amœnissimis



simis veritatum peristromatibus, remis, ut ajunt, velisq;  
adornare occipiunt in fœdissimum macularum hortulum  
& errorum barathrum præcipites ruunt, & undiquaque  
gravissimorum errorum concussu circumdantur. Ne  
vero verborum nimis cupidus, limites præfixos excedam  
& disputatio hæc in eximiæ molis magnitudinem excre-  
scat, ad intricatos *causarum per accidens* recessus, tanquam  
admirandas montium rupes, confestim progredior & ad  
materiam subtiliorum ingeniorum tricis expositam, me  
accingo, quo augustissima ingenii mei vela debita cum  
modestia explicem & ad sobriam causæ per accidens no-  
titiam planior pateat via, mæandris labyrinthorum tor-  
tuosis superatis & perplexitatibus gravissimis placidè  
evictis.

§. II.

Sed quemadmodum omnis ævi gravissimos philoso-  
phos in suis operibus ab ὀνομαζελγία primordia duxisse  
& quæstionem τὸ ὄν, quæstioni τὸ τί ἐστίν, semper præmississe  
in aprico est, & quidem non immeritò; sic enim mate-  
ria magis elucescit, sic miræ perplexitates anfractuum  
feliciter evitantur, imo; sic horrida absurditatum monstra  
adhibito veritatis clypeo in fugam vertuntur, è contra  
vero dum scilicet ignota est materia & de ejus existen-  
tia fluctuat auctor, contra clarissimum veritatis torren-  
tem, ignorantia propagine seu traduce, infinita derivari  
absurditatum agmina, & adversam partem nullo veritatis  
fundamento nixam absurdam suam adstruere sententiam  
vix uilus tam bardus homuncio est, qui ignorat. Ita e-  
tiam non modo rectæ rationis dictamen, sed & dextre  
philosophantium cohors, mihi quoque lustranti indolem  
*causæ per accidens*, antequam ipsa interiora penetrália illius



aliquo definitionis clavo referare aggrediar, suggerit, ejus existentiam in frontispicio delibandam maximè proficuum esse.

§. III.

In primordiò itaque quæstio *in* enodanda occurrit quam asseveratum & quidem hunc in modum demonstratum ibo, ab absurdo: Ni enim *x.* daretur *causa per accidens*, omnia quæ fiunt, a causa per se promanarent, quod oppido absurdum. Quis namque multa in stupendâ hac mundi machinâ præter omnem spem, naturam & intentionem causantis, casu scilicet & fortuna fieri negabit? quis eorundem (scilicet quæ fiunt casu & fortuna) causas in effectus suos per accidens producendos influere ignorat? Quis â causis quosdam effectus dependere non tamen ut â talibus, inficias ibit? & hæ ipsæ sunt causæ per accidens. Nonne nosti aliquando scriniarium futoris munia obire, non tamen ut scriniarium? hic enim vere & realiter influit in *id* esse causati, non tamen virtute propria, aut natura sua; non inquam quatenus est scriniarius, sed in quantum ei ars futoria per accidens inest. Unde effectum producit per accidens & ejusdem effectus causa per accidens evadit, ceu rite monet Svaretius dum in hæc verba erumpit: *supposito tribuitur actio per accidens, quando vis agendi eidem per accidens inest.* 2. quocirca negata existentia causæ per accidens, quam causam ejusmodi effectus agnoscerent? non causam per se, sic enim termini non cohærent, nam dicere aliquid fieri per se, & tamen præter omnem spem, naturam & intentionem, contradictionem involvit, & hæc ipsa consistere nequeunt, nisi se mutuo tollant. Tertium nempe medium inter *causam per se & per accidens* non datur, cui effectus e-

jusmo-



jusmodi adscribi queunt. Hinc igitur ad hanc sententiam veritatis centro proximam accedere possunt ratio & intellectus, nempe causam per accidens omnino in rerum natura existere & effectus per accidens è foro causarum per se penitus excludendos esse. Licet ineptissimorū hominum frivola dictionem hanc è sobriæ philosophiæ visceribus haustram, temerè confutare annitantur.

§. IV.

Cum autem haud sim ignarus Antagonistarum cohortem eò audaciæ & potius importunitatis prolapsam, ut audacter contra existentiam causæ per accidens dogma prodigiosum cudere, ausa sit, præcipitans se in absurditatum involucro implicatam & vastissimam errorum sylvam. Nam asserit stolidè nullos planè causarum effectus per accidens; ideoq; ipsam causam per accidens refutare conatur, quod prorsus à *Philosophis*; seu id postmodum ostendetur. Cum aliud docet dextrè Philosophantium corona, aliud inquam rationum fundamenta gravissima, aliud rerum opifex natura, imo; aliud quotidiana rerum experientia. Utrum vero contrariæ sententiæ faventium cohors bene sibi constet, mirifice scire gestio; illius itaque rationum propugnacula & objectionis cuspidis, quibus nos aggressura esset, pro modulo ingenii examinabo & qua par est industria, retrorsum retundere conabor; ut mihi veritatem indaganti ex hoc labyrintho pateat egressus & ut singula aliquo modo candidè explicentur & ad optatam metam perducantur.

§. V.

Quam sobriè philosophantur isti Disputatores, nobis liquidè apparet exinde, quia nullum faciunt discrimen inter *re esse* & *fieri*, seu inter factum & jus, quæ tamen



sunt distinctissima. Verba eorum ut repetam, hæc sunt: *Obj. quodcumq; est ens per se, illud ipsum & jam habet causam per se, jam subsumunt de effectibus per accidens, quod talia sint, ergo inferunt, eos habere causam per se & ex consequenti causam per accidens tollendam esse colligunt.* Resp. imprimis concedendo effectus per accidens esse entia per se respectu influxus Physici, quatenus causa jam influat ad effectum illum producendum, & effectum non magis est *ἐν ἰσχύει* sive ens in potentiâ, vel in fieri, sed *ἐν ἔργῳ* & in facto, adeoque ipso actu existit. Deinde vero *negando sequelam*: minime enim effectus fortuitus & casualis, est ens per se, qua talis: id enim luculenter patet *1. ratione intentionis moralis*, quatenus non illum effectum intendit, sed ei plane accidentaliter evenit. *2. ratione modi influendi*, qui diversus, adeo ut illa per se, hæc vero per accidens causato det esse dependens; & licet effectum post influxum revera gaudet entitate physica, nihilominus per se ejusdem causa non est, *ratio hæc est* quia effectum ante quidditativam suam dependentiam seu actualem existentiam, profus fuit indeterminatum.

§. VI.

Cum autem omnis Causa per accidens, effectus etiam per accidens agnoscit, nam *qualis causa, tale effectum*, stultissimarum opinionum auctores præcipitantes se in absurdissimarum rerum laqueos, nullos plane causarum effectus per accidens statuere allaborant. Argumentum in nos ab absurdo petatum tale dirigunt: *Obj. Si dentur effectus per accidens, sequitur Deum I: O: Max: non esse omniscientem*: Ratio consequentiæ hæc est: *quia quicquid per accidens fit, fit præter intentionem agentis, si itaq; D: T: O: M: sit omnium rerum principium & cooperetur cause secundæ, ideoq; sit actiois*



*actionis particeps, sequitur ejusmodi effectus etiam fieri præter intentionem illius: quod ἀλογον! ἀτοπον! nam sic tolleretur D: T: O: M: præscientia & is impie imperfectionis argueretur; quæ consequentia absurda est; erit itaque absurdum etiam antecedens. Hinc igitur Causas per accidens radicitus tollendas esse sentiunt, cum omnino sit statuendum Deum perspicaci & infallibili præscientia cuncta gubernare. Sed minus sincerè ad cotem veritatis ea limata rutilant ingenia, quæ præscientiam Dei præpotentis exinde tolli concludunt, quod à recto rationis tramite tantum discedit, quantum terra distat à cælo & quantum stellulæ solis claritati cedunt. Ineptissimam itaque hanc collectionem (quâ à mortalium intellectus imbecillitate ad præscientiam summi Architecti dogma falsissimum fabricatur) solutum ire, non est ut puto per extensum vadere funem. Imprimis fortiter huic repugnat ista scholasticorum distinctio quæ discriminant: *inter finem operis & agentis*. Quam beatus Dn. Doct: Calovius in lib: *Metaph: Doctr: caul:* approbat, concedens multa evenire per accidens ratione operis, quæ tamen ita non fiunt ratione agentis, deinde vero si aliquid fit per accidens ratione nostri intellectus imbecillitatis, id tamen Deo imputandum haud venit, tanquam per accidens quoque fieret ratione Dei, juxta illud: *ab intellectus nostri imbecillitate ad omniscientiam summi Dei argumentari non valet.**

## §. VII.

Sed ut brevitati litem, objectionis propositio major limitari potest hoc modo: *si dentur effecta per accidens, quæ fiunt præter intentionem agentis tam universalis quam particularis, sequitur Dei tolli præscientiam.* Verum sic restricta majore, minor per omnia corruit. Hoc ut clariores de se spargat veritatis radios, faculam ei ex hisce accendere placet



placet: nempe quod Deus concurrit concursu generali & causæ secundæ cooperatur universaliter; Dum vero sermo est de causis per accidens, sufficit eas tales esse respectu causæ particularis, hæc namque est causa proxima, & gaudet libertate arbitrii, unde in eandem culpa recidit, & ad eandem tanquam causam particularem & libere agentem omnino recurrendum est. Deinde quoque absurdum non est, dicere aliquid fieri præter intentionem Dei, si modo bene distingvas inter ea quæ fiunt *præter intentionem rationis intellectus & voluntatis*, si de iis sermo fuerit, tum nihil quicquam præter eandem in mirabili hoc mundi circulo fieri; si de his, tum multa ubique locorum præter eam evenire scias. Falsissime itaque urget Maccovius dum scriptitat; *omne illud quod præter intentionem evenit, id insciis evenit*. Nam peccata cum intentione voluntatis Divinæ fieri nequeunt, peccatum enim formaliter malum est, & de intentione Divina involubile implicat. Ea tamen cum intentione intellectus Dei maximè fiunt, quia non tantum eorundem materiale, ad quod concurrit, sed etiam formale, ad quod non concurrit, infallibili præscientiâ novit & prævidet. Confundit itaque Maccovius superius datam distinctionem, unde arduas inter controversias sudans, laborat è gremio suo falsissimas collectiones egerere.

### §. VIII.

Demum vero ne scrupulus injiciatur lectori exinde quod dixi causam primam secundæ cooperari in omnibus; hinc inquam ne scrupulosus absque causa maneat, & ineptissime Deum causam peccati faciat, quia Deus Cooperatur, adeoque permittit omnia non impediens, cum tamen possit; utique paucis rem hanc dabo expeditam:

Deviant



Deviant â vero qui hinc statuunt Deum causam peccati moralem: nam Deus permittit peccata *negative*, non *positive*, non enim approbat licet permittit, non inquam permissivè vult peccatum, licet volenter permittit. Vid. Beat. Dn. Doct. Calov: sed cum assertionem nostram firmis niti veritatis radicibus, sat prolixâ probationum serie evictum ac demonstratum sit, hæc ad superiorem Cathedram referenda esse existimo. hinc itaque missis istis blasphemis quæ in sanctissimum numen é perversâ causæ per accidens interpretatione redundare videntur, ne committam *μετάβασις εἰς ἄλλο γένος*, aut falcem in alienam mittam segetem, mei discursus cymbam ad mare philosophicum ulterius dirigendam esse arbitror. Et si ea tetigi quæ heic intacta esse debuere, scias pervelim Cand: Lector, me modò per bonam consequentiam ad corroborandam meam thesin eadem adduxisse.

§. IX.

Ut rem acu attingam & uno (ut ajunt) verbo concludam, causam per accidens omnino juxta saniores Philosophos dari & in rerum natura existere, certò assevero; quod ipsum ex hæctenus allatis quilibet animadvertit, nisi cui natura fungum pro cerebro & peponem pro corde dedit. Innumera quidem adhuc ex adversariorum densâ caligine adumbrato pectore, scaturiunt argumenta, sed ea singula enumerando refutare, vetat, cum temporis ratio, tum studium brevitatis, pagellarum item spatium arctissimum. Si vero cui eadem obveniunt, conferat cum recto rationis dictamine & sobriè philosophantium scriptis, tum liquidò comperiet eos partim ludere falsa hypothesi & peccare secundum causam ut causam, partim vero sophismate pravæ interpretationis & ἀμφιβολίας



fallacia; hæc itaque qualia qualia, de existentia causæ per accidens sufficient; nunc quo meliori methodo ac feliciori passu ambulet hæc materia, in demonstranda quidditate seu natura causæ per accidens, omnem lapidem movebo.

§. X.

Sic breviter explanatâ quæstione τὸ ὄν. seu rei existentia, jam brevibus incipit quæstio τὸ τί ἦν. Imprimis itaque quo melius veritas sua luce radiet, causam per accidens hoc in loco suis coloribus depingere in primordio oportet. Quæ juxta clariss: Frommium, talem fortitur descriptionem: *Efficiens per accidens est quæ in istud influit ad quod influxus non ordinatur*; vel ceu aliis placet: *Est principium præter omnem spem, naturam & intentionem suam, principiatio dans esse dependens*. Circa datam definitionem primum se considerandam offert vocum Etymologia, in qua observandum, quod accuratiores philosophi derivent causam à *cauendo*, ut causa sit quasi *cauissa vel cautæ*, alii à græco vocab: καύσις *incendium*, quod incendat adagendum, &c. Accidens ab ad & cadente deducitur, illud vero substantiam extra essentialiter afficit, & nullam prorsus habet Existentiam extra subjectum, verum in subjecto, quo destructo, ipsum etiam destruitur. sic paucis celebratis vocum natalibus, jam ad earundem ambiguitates seu varias acceptiones (quas aliàs adversari confundunt & haud parum sapere absurditatis videntur) calamum dirigere summoperè consultum est.

§. XI

Causæ homonymia apud auctores varia est, sed ne opus in immensum excrescat, hoc loco eam brevibus saltem delineare placet: **I.** apud Ictos in significatione forensi,  
deno-



denotat objectum officii eorum, circa quod occupantur in foro judiciali. 2. apud Rhetores Thema, quæstionem seu materiam tractandam, unde 4. causarum genera numerantur. 3. Logicos constituit certam speciem argumenti seu termini simplicis 4. penes Metaphysicos usurpatur diversimodè. 1. latè, quomodo causa sine qua non, etiam causæ nomine venit; quam Schëibl: rectius conditionem dici & ad locum antecedentium referendam esse existimat. 2. Stricte, pro causa efficiente quæ solum κατ' ἐξουσίαν causâ dicitur. 3. adæquate pro principio quod causalem influxum ad effecti productionem largitur.

§. XII.

Particulam *per* pluribus scaterere ambiguitatibus ἀκριβῶς observandum est, & cum eas singulas inpræsentiarum adducere verat instituti ratio, itaque iis enumerandis supersedeo. Propria quidem causæ formalis characteristica nota est particula *per*; designat tamen etiam quodvis medium; item causam efficientem, nec non instrumentalem &c. Homonymia vocis accidens etiam varia occurrit, hic loci vero sumitur prout τὸ necessario opponitur, estque idem ac contingens; quo spectat illud πολυτρόπως: *accidentis non est scientia*. De ejus attributis fortassis uberior & commodior dabitur in ipsa συζητήσει disquirendi ansa. nunc ad Synonymiam.

§. XIII.

Definiunt causam *per* Principium, unde hoc non potest esse ejus synonymum, quia non convertuntur, nec reciprocantur, est enim principium latius quid causa; unde distinguntur tanquam latius à strictiori. Causa synonymum suum à Græcis audit αἰτία δι' ἑν, id est



causa cur aliquid est, seu propter quod aliquid datur esse determinatum. Accidens apud Græcos *συμβεβηκός* vocatur & quod ex improvise & ex accidente, casu & fortuna fit, inquit Svecus: *Uff en händelse / Finno vero Zapaturmassi /* ceu juxta illos usu trita est loquendi ratio: *detta stedde migb af en händelse; tåmò zapaturmassi mull Zapaturmassi;* id est hoc mihi ex accidente factum est, induunt itaque hæc vocabula sibi accidentis naturam & sobriè ejusdem synonyma statui possunt. Cum autem sic per Dei gratiam simplici stilo vocum *ὀνομαζολογίαν* evolvi, nunc ne mortuaria glossaria me traditurum jure quis arguet, operæ pretium erit interiorem animi aciem in rei substratæ viscera demittere, ipsa agrediendo realia seu *πραγματολογία*.

#### §. XIV.

Dispulsis sic falsarum opinionum circa existentiam causæ per accidens, nebulis, jam acie iustructa fortioribus armati objectionum tormentis de ejusdem causalitatis veritate, in amœnissimum campum philosophicum egrediuntur adversarii. Licet itaque Genus & differentiam in *πραγμαζολογία* exponunt philosophi, nihilominus de iis jam pro instituto parum sum sollicitus, cum ea omnibus patefiant & ex sequentibus quocumque aliquantulum intelligi queant. Adulterinam faciem videntur habere ista quibus contraria cohors rationem causalitatis à causa per accidens avellere conatur; ingens enim inde sequeretur hallucinatio & absurditas. Causa enim per accidens æquè bene agit influendo in 7<sup>o</sup> esse causati, ac causa per se & κατ' αὐτὸ. Gaudet enim virtute effectrice, quod negare absurdum est. Quò verò ficulneæ hæc objectionum fibræ clarissimam veritatis faciem non fœdent, cerussata  
meritri-



meretriciæ suæ fraudis fronte, sed aliqua veritatis aspergine tollantur & abluantur, quasdam earum in apricum ducam, ut eò melius verecunda veritatis facies clarissime emergat & illæsa in altum elevetur & extollatur.

## §. XV.

In principio enim auctoritatem Svaretzii nobis objiciunt: Qui causam per id quod per se influit, definit: unde hoc telum in nostra castra immittere ausi sunt: *Obj. Omnis vera causa revera agit & per se influit in eò esse causati, hoc vero de causis per accidens dici nequit, ergo nec sunt vera causa.* Majorem extra controversiam à definitione Svaretzii cohærere dicunt, minorem à majori debitum accipere nutrimentum existimantes. Ad hoc quantum in proclivi est dicam: Resp. Majorem scilicet propositionem universaliter veram non esse, non enim requiritur ad omnem causam ut per se influat ac prævia deliberatione & præelectione producat effectum; sed sufficit ut tantum influat in eò dare alteri esse dependens, vel intrinsecè producendo, vel extrinsecè constituendo, sive tum id fit per se, & præcedente influxu, vel physico, vel morali, sive per accidens & inopinatò. Denique auctoritati humane credendum, quatenus firmis nititur rationibus. Auctoritas itaque Svaretzii nihil nostræ theos veritati præjudicare debet, cum ea definitio non sit causæ in sua latitudine sumptæ, verum solius causæ per se. Cur talem formamus propositionem: *omnis vera causa influit in esse causati.* Quomodo insignis adversariorum dispalescit error, scilicet quod confundant descriptionem causæ per se & causæ in totâ suâ latitudine usurpatæ.

## §. XVI.



Deindè Sententiam suam hocce rationis cuneo statu-  
minare cupiunt, dum scriptitant: *Causam in communi re-  
spectu cause per accidens, non esse univocum, nec analogum, sed  
equivocum genus.* Sed miror cur ita prorsus latè pbilo-  
sophentur isti disputatores, inepta enim profitentur &  
ad absurda procedunt, solo discurrendi & oblectationis  
ardore flagrantes; id enim eo ipso prætendunt, ac si  
supposito veram causalitatem denegent, quod tamen  
est contra omnem veritatis rigorem, contra omnis ævi  
philosophorum placita, imo, contra omnes qui princi-  
piis Aristotelicis suavissimè indulgent. Omne enim  
Suppositum revera agit & realiter influit in 7<sup>o</sup> esse cau-  
sati; si aliàs canon immotæ veritatis firmo talo stabit:  
*actiones non sunt partium, aut accidentium sed totius suppositi,*  
scilicet tamquam agentis primarii & principalis. Hanc  
igitur egregiam assertionem contra istos stropharum fa-  
bros corroborare juvat, quod absque ingenti cæde frau-  
dulentorum sophismatum fieri nequit

## §. XVII

Urgeo omninò ex genuinis principiis solidisque fun-  
damentis, causam per accidens analogicè sic dici & ha-  
bere respectum ad effectum, talem vero respectum, qui  
non sit determinatus respectu ejusdem effectus. Quis e-  
nim fando inaudivit, quod 7<sup>o</sup> per accidens, æquipollet  
cum nihilo? adeo ut si quis claudicat per accidens,  
is non claudicat, tum effectus per accidens claudi-  
catio scilicet, per se subsisteret absque ullo subjecto, quod  
absurdorum absurdissimum; *Nam accidentis esse est inesse.*  
Postea quoq; effectus per accidens nullo gauderent prin-  
cipio, si perversa hæc sententia sua luce radiaret, cum ta-  
men



men omnia creata & res existentes gaudeant principio unde & à quo originem trahunt; nunc vero certum est effectus dari per accidens; si itaque eorum causa æquivocè sic dicitur & reapse differt à verâ causa, quomodo effectus hi iisdem adscribi queunt? quæcunque enim æquivocè causa est, ista non producit effectum; quod si sic se habet, quid opus est loqui de causa, cum nulla datur? præstat itaque expressè ponere nullas causas ejusmodi effectuum: & hoc est quod nullatenus concedimus; id enim sanctissimi Numinis, quod omnes res causam primam agnoscunt, & dextrè philosophantium coronæ conspurcarent gloriam.

§, XVIII.

Falsissimus itaq; prætextus est, cum dicunt *Obj: causam per accidens ideo quod immediate opponitur cause per se, non esse veram causam, adeoq; prorsus non causam*; de quo fufè agere & longum argumentorum agmen in campum afferre, vetat pagellarum angustia, & laboris compendiosa brevitatis. hoc tantum addo: quod ipsa causalitas causæ per accidens minime tollitur à causa per se, id enim ipsæ voces luculenter demonstrant, nam utraq; dicitur causa, sed diversimodè, adeo ut illa per accidens, hæc vero per se influat in esse causati. Differunt itaq; hæc dictæ causæ, modo influendi, & in hoc minime coincidunt, licet sic scriptitent temerè & audacter, qui adversæ adstipulantur sententiæ. non enim uno modo sed diversimodè effectus suos producant, seu in superioribus in apricum duxi, & ad huc quidem parum de iisdem dicerem, ne bis coctam crambem apponere viderer. haud nimis itaq; de iis sum sollicitus, quæ sese ipsa clarissima repræsentant. Falsa igitur eorum hypothesis ruit ac à sua luce decedit abitq;.



Uterius pergunt, ut ostendant ingenii sui acumen, hoc modo nos salutantes: *Obj. particula per accidens est alienatio seu terminus diminuens, (Ut loquuntur logici) & causalitas causa per accidens hocce appposito tollitur: Verum frivola hæc esse & adulterinam faciem videntur habere; quamvis enim ingentem scopulum hunc arbitrentur adversarii, potiori tamen jure illum pro scrupulo habeo; nihil enim exinde assertioni nostræ metuendum naufragii, licet contrariæ sententiæ applausores; quo vanam quandam gloriolam apud populares captent, nova dogmatum monstra effingant & nobis obnixè obtrudant. Minus inquam hæc sententia veritati congrua est: nequaquam enim particula per accidens, est appositum aliquid alienans, sed est additum istud per, ut detur discrimen inter ea quæ fiunt per se & per accidens. Nam uti particula per se, non imponit rebus necessitatem ut magis factæ sint, quam eæ quæ fiunt per accidens, ita hæc per accidens sc: non privat causalitatem, sed ejusdem qualitatem dilucidè ponit ac demonstrat; clare ostendens effectus alios per se & alios per accidens, & eorundem causas optime discrimians. erit itaq; appositum hoc per accidens, tanquam differentia quædam specifica, per quam causam per accidens à reliquis causarum generibus excipi ad oculum apparet.*

§. XX.

Tandem vigor ingenii eorum hocce erumpere cogitur argumento, inquit: *Obj. si causa per accidens & causa per se sunt veræ cause & nullum datur discrimen inter eas in causalitate, quid opus est ejusmodi terminis nempe per se & per accidens? melius enim est ab ejusmodi λογωμαχίαις.*

Sed



Sed jam prorsus Grammaticè philosophantur. Dum enim dicitur causam per accidens esse veram causam, id intelligendum *in sensu Logico, non Grammatico, abstracto non concreto.* Causa per accidens est vera causa quatenus effectum ab eâ dependet, non quatenus per se dependet, id enim est proprium solius causæ per se.

§. XXI.

Nec est quod his immoremur, placet itaque requisita causæ per accidens huc afferre, & demum errorem contradicentium refellere: Requisitum inquam primum quo causa dicitur per accidens; est: *ut aliquem effectum producat,* quomodo particeps fieri potest causalitatis & causæ nomine venire; unde tamen statuendum non est esse causam per accidens in potentiâ, cum id bene dici non possit; sed supponendum est esse causam in actu, non inquam potest dici est causa per accidens in potentia, nam hæc actualem causalitatem requirit, quam tamen in esse in potentia diminuit. secundum: *ut agenti aliquid accidentaliter adjungatur* & effectum per accidens productum, non vi causæ ut causæ producat, sed vi alterius accidentaliter intervenientis dependeat. Tertium: *ut adsit aliquid rarum,* non universale quid, ut si aurifaber ædificet, hæc ædificatio ei per accidens tribuitur, & est raram, quia non omnis aurifaber ædificat. Erit itaque quartum ejus requisitum: *ut effectus fiat ob aliud accidentaliter interveniens, & ideo non directe dependet ab eo quod dicitur causa per accidens, sed potius præter ejus vim & intentionem.* Hæc omnia S.S: Theol: Doct: Scharfius dilucide exponit.

§. XXII.

Non itaque satis sapere videntur illi qui vanæ gloriæ cupidi, requisita causæ per accidens cum requisitis



causæ per se confundere conantur. Nam hujus est per se influere, illius vero non nisi per accidens. Hæc in potentiâ ob Influxum moralem statui potest causa, ista non nisi ipso actu existat. non itaque nos asserimus causæ per se proprium, esse requisitum causæ per accidens & vice versa. *Quia proprium unius nequit esse proprium alterius.* Causa per accidens itaque est causa vera non tamen ac causa per se, sed in suo genere, quatenus effectui dat esse determinatum. Cetera adversariorum suscipere tela o-mittam, solum meam de causæ per accidens veritate qualemcunque huic labori superstruam sententiam, quam è scriptis nostratium hebes ingenii vigor ac acumen evolvere quivit.

§. XXIII.

Quam temere isti faciunt qui causalitatem causæ per accidens negatum ire cupiunt, cujus in pectore mens sana est id intelligere potest; ceu id ipsum satis superque demonstrando vir undiquaque consummatissimus Dn. Doct: Enevald: Svenonius in Apologetico Dei indigitavit, ubi leguntur hæcce verba: *quemadmodum causa per accidens non est non ens, sed revera ens, ita quoque causa per accidens non est non causa, sed revera causa.* Id ipsum quoque replicant ipsi adversarii: *Dum causam per accidens in ordine ad effectum, non equivoco sic dici, vel non esse non causam* sua sponte concedunt. Quid itaque ex scriptis philosophorum vadimonia sistere opus est, dum ipsa contradictantium cohors optima nobis Testimonia præbeat? quid inquam? nonne quæso id ipsum adest quod volumus? quis enim unquam non enti aliquid tribuit per accidens, ut superius paucis dictum est, itaque dum effectum revera existit utique illi aliqua erit attribuenda causa; unde talem for-  
marc



mare placet syllogismum: *Ubi nullum datur effectum, ibi respectu ejusdem non effectus causa merito sic dicitur æquivoce, ironice, estque idem ac non causa, atq; causa per accidens datur effectus, ergo illa est vera causa.* Quod credo ulterius ad-  
 versarios non urgere, cum ex ipsis eorum dictis cuncta debito sustententur alimento, verum præpostere philosophantur, dum fauces defensionis nostræ hinc premere & corrumpere satagunt, abundantia scopulorum arva vastantes. Nam licet inquirunt: *causa per accidens habet respectum ad effectum, alio tamen modo est non causa.* Attende *caus. Lect.* qualia hæcce, nonne id ipsum est ut modo dixi & ex conclusione apparet; nec unquam nostra hæc assertio qualiscunque non enti aliquid tribuit per accidens, sed enti analogice sic dicto, sive causæ per accidens, dum reducitur ad causam per se & conjuncta cum ea alium à mente causæ per se, prognerat effectum.

§. XXIV.

Ex hisce itaque allatis tale enascitur *συμπέρασμα* quod *causa per accidens non solum nomen sed etiam veri cause habet.* Hoc est non unquam æquivoce sic dicitur, adeo ut alienata sit ejus causalitas, siquidem ex parte rei merito causæ nomine venit. Influit enim in τὸ esse alterius, quod efficit, unde efficiens tanquam *principium ex quo dependet effectus secundum esse per accidens* appellari amat, omne enim principium ex quo in esse dependet effectus, est vera causa ejusdem effectus, quæ itaq; in esse dependent à causis per accidens, veram causam requirunt; erit itaq; causa per accidens vera causa. Ratio hæc est: quia nemo adhuc negare ausus est causam per accidens revera efficere. *Sequitur itaq;* ut omnis causa quæ revera efficit & est causa revera efficiens, sit vera causa. Nunquam mihi persuasum habeo



aliquem adeò tædiosum fore ut hæc in συμπερασματι posita repudiet. Nam causa per accidens revera agit virtute causæ per se agentis, cui conjuncta operatur, & juxta finem effectum quem causa per se minime intendebat, producit; unde per accidens causa dicitur. Si enim causa per accidens idem esset ac causa per se, ut modo adversarii scriptitarunt, tum requisita causæ per accidens propria etiam essent causæ per se & viceversa. qui dum illud statuunt, oppidò falluntur; sic enim nil præter intentionem fieret agentis, & qui malum effectum se producturum sciret, declinaret; & sic non produceret, quia *malum quia malum non est appetibile* & quatenus tale voluntas ejus cupidine abhorret. Sed contrarium demonstrat quotidiana rerum magistra experientia, nam multa mala per accidens perpetrantur, quod qui refutare volunt impii vocari merentur, imo haud parum absurdi. Non itaque ultimo confundenda est causa vera & causa per se, datur enim alia causa vera, licet non *per se*, cum omnino verum præstet influxum, quemadmodum igitur influxus physicus & influxus verus distingvi queunt, ita causa per se vera & vera in suo genere, haud male discriminari amant.

### §. XXV.

Concludendum itaq; causam per accidens esse omnino veram causam & ultimo asserendum à causa per accidens efficiente, revera existere effectus & demum removendæ propositiones istæ nullius valoris, quibus causæ per accidens nomen causæ æquivoce tribuitur, ut in quantum hebes securis ingenii secare & pertransire quivit in præmissis pedetentim enucleavi. Inconsiderate namque tumultuantur hostes & licet ab inscientiæ fæda atrocitate



te se in pudoris profunditates & macularum pelagum, nec non absurditatum centrum detrusos esse intelligant, capiātve, desistere tamen nequeunt, ast veluti carmina triumphantium canentes, se in summo victoriæ throno collocatos esse jactant. Verum cum limites hujus sectionis jam destinati adsint, adeoque venia ulterius progrediendi è manibus sit erepta utique hisce subsistam, & ad alia è tritis eruenda memet accingam.

## SECTIO SECUNDA,

ἀνασκευαστικῆ

### PROBLEMA I.

*An causa per accidens sit solum in efficiente?*

**N**obilis est hæc apud Auctores quæstio, ut & difficilis & per plexa. duæ enim oriuntur sententiæ quæ calamitatis prælium haud parum augent. Nam una earum causam per accidens solum efficienti, altera vero etiam materiæ tribuendam existimat. Sed cum prima illa sententia majoris roboris esse videtur, haud immerito etiam nostratibus eidem placet album addere calculum. non enim potest causa per accidens tribui materiæ, quoniam illius attributa minime eidem competunt. Est enim requisitum causæ per accidens *ut aliquam rem efficiat per accidens*. Materia autem id facere non potest, nec efficientis nomine venire. Ratio hæc est: quia materia sibi relicta, nullum præstat influxum accidentalem. Ad cetera quod attinet, nempe si aliquid producitur per accidens ab agentibus naturalibus, istud tamen materiæ imputandum non est, quia minime id fit per accidens ra-



tionem materiæ, sed ratione exhibentis materiam, quod est causa efficiens. Concludimus ergo hinc causam per accidens esse solum in Efficientibus, & quamvis Avicenna cum suis falsis hypothefibus concludat esse causam per accidens in materia, ad tamen tolerandum non est, quia materiæ nil tribuitur per accidens, qua materia est.

## PROBLEMA II.

*An omnis causa per accidens reducatur ad causam per se?*

Statim absque ambagibus ullis affirmativa amplectenda pars est; & in ea pergendum tuenda. Omnis enim causa per accidens reduci amat ad causam per se, non eò inquam quatenus causa est per accidens, ut statim eadem scilicet causa respectu ejusdem effectus sit causa per se, adeoque causa esset unius effectus tum per se tum per accidens, non dixi: est enim hæc à mente nostratum aliorumq; exoticorum philosophorum, (quibus scilicet rite nomen philosophi tribuitur) maxime aliena sententia, & ab omnium scriptis haud parum degenerat. Ne vero propriis argumentorum racemis vindemiam excolere dicar philosophorum fores pulsandæ sunt, cum autem brevitati litandum, itaque uno exemplo erimus contenti quod nobis suppeditabunt ædituus & sacerdos, unde fiat talis prædicatio: *sacerdos pulsat campanas*; hic vides quod sacerdos campanarum tonitru vel pulsationis causa per accidens evadit, non enim est sacerdotis pulsare; id enim sacerdotium seu officium sacerdotale minime requirit; sed concurrat sacerdos ad hoc non propria vi, sed aliena



aliena & extrinseca, nempe æditui. Hinc itaque quò axioma theseos nostræ clarius enitescat, sic ratiocinandum est: Quod reducitur hæc causa per accidens ad causam per se & ædituum; non enim sacerdos quatenus talis pulsabat, nec virtute sacerdotali effectum produxit, sed virtute æditui, quâ simul cum sacerdotio gaudebat, unde effectui dedit esse dependens, non tanquam sacerdos, sed tanquam ædituus, cur ad istum ædituum scilicet, cuius est pulsare tanquam causæ per se & propriæ, hoc merito reducendum concludo; manet quæ sic sacerdos causa per accidens, quam ut vides ad causam per se seu ædituum reduxi. stat itaque firmo talo certitudo hujus theseos. Ceu Hundseshagen clarissime docet.

### PROBLEMA III.

*Estne adæquata divisio causæ per accidens in eam quæ agit necessitate & fortuna?*

Hanc de divisione causæ per accidens conficiendâ tractandi provinciam disputationis pertexenda series mihi met injungit & licet circa hanc quæstionem Philosophi in varia sententiarum abeant divortia, cum plurimis haud imi commatis viris sub ancipiti hæreat; nihilominus tamen hanc divisionem cum suo Diviso non reciprocari probandum nobis incumbit. Cum divisio causæ per se in naturalem & voluntariam sit satis adæquata, utique facile Dispalescit quam male sentiant qui hanc causam scilicet per accidens, per eam quæ agit necessitate & fortuna definiunt: ad quam refutandam talis procedi potest Sorites: quæ causa ex necessitate agit, ea non voluntarie agit, quæ voluntarie agit ea præmissa scientia agit, quæ præmissa scientia agit,



*ea agit cum intentione, se hoc utiq; non agit per accidens. Neminem veritatis amantem hujus consequentiam mihi negare credo, cum connexio omnium propositionum sit categoricæ non hypotheticæ necessitatis particeps; voluntaria enim actio præcedaneam quandam veram cognitionem requirit, & notitiam: quoniam voluntas non fertur in incognitum; & nullum effectum producit per accidens voluntariè. Deinde quoque ex necessitate actionis scilicet agere, est agere ex consilio, deliberatione, notitia finis & modi agendi; quæ omnia non possunt convenire ei quod non est agens voluntarium. Uterius potest veritas nostræ assertionis sic stabiliri: *Quemadmodum enim effectus per se intentus alius tribuitur cause voluntariæ, alius naturali, ita quoque effectus accidentalis hisce adherens, vel primo cause voluntariæ, & dicitur merè fortuitus, vel naturali & dicitur casualis.* Tantum ad hanc quæstionem quam alias clariss. ille Scheibl: in operib: Logico & Metaphysico dilucidè exponit.*

PROBLEMA IV.

*Daturne causa per accidens tam respectu cause quam respectu effectus?*

Qui hanc negant, oppidò falluntur; nam utramque omnino dari in confesso est. Est tamen apud auctores harum de existentia lis quædam orta, imo talis, ut quidam in has, quidam in illas transversum abripiantur sententiarum quasi syrtes & voragines. Verum cum eorum argumenta enucleare ob chartæ inopiam non possumus itaq; ut quimus dicendum, quando ut volumus non licet. Affirmamus quoque hanc quæstionem, & quidem rationi-



rationibus subsequenter suffulti: quia Datur primo causa per accidens ratione causæ, ut in hoc exemplo: musicus ædificat domum, hic constructio Domus per accidens tribuitur musico quia ab eo procedit effectus non quatenus est musicus, sed quatenus adjuncta est ei scientia architectonicæ, unde musico ædificatio per accidens tribuitur & hujusmodi causa per accidens dicitur sic ratione causæ. Datur quoque causa per accidens ratione effectus, quam aliud exemplum nobis demonstrabit: sic verbi gratia: qui removet valvas, dicitur causa per accidens resp: ejus subsequenter effectus, scilicet illuminationis, qui tamen verè & realitèr ad hoc producendum non influxit, aliquid tamen ad rem contulit, adeoque est causa saltem per accidens ratione effectus scilicet illuminationis. agamus porro pressius & verbo concludamus affirmando utramque omninò dari, quod ex hisce allatis quivis capere quit. Alias si hoc adhuc cui movet dubium, Doct: Graetii Metaph: conferat, ubi optimam harum hauriet scientiam & ipsas definitiones causarum splendide ediscet.

## PROBLEMA V.

*Datur ne adequata definitio cause que agit fortuna & que casu?*

Hanc thesin licet auctores prolixè pertractent; è manibus tamen ne surripiatur meis, allaborabo. itaque verbo attingendus est sensus philosophorum & fertili pluvia repullulascere faciendus optimus fulgor illius thes-



feos, quo splendido cum tōnore ejus veritatem roboret. Dico itaque utramque adæquata gaudere definitione, quam illis ex Scheiblero talem dare placet: imprimis fortunæ. *Fortuna est causa per accidens voluntaria, secundum quam ejus effecto per se intento alius annectitur non intentus.* Hæc est adæquata hujus descriptio, quam repudiare vix ullus potest. Est enim in fortuna agens voluntariam cui annectitur aliquid pulsu fortunæ, vel secundæ vel adversæ. Unde hanc adæquatam esse patet, quia cum suo definito plane reciprocatur. Deinde *casus est causa per accidens, qua effecto causæ naturalis apponitur alius effectus non intentus, nec necessarium nexum habens cum isto effecto priori.* Nec hanc esse disconvenientem, aliquem asseverare credo, quoniam & hanc reciprocari cum suo definito certum est. Nam id est casu agere, cum effecto naturalis agentis aliquid adjungitur per accidens; ut in prioribus dictum habere volui.

## PROBLEMA VI.

*An datur causa per accidens utroque modo, tam respectu influxus quam intentionis?*

Affirmamus hanc quæstionem, & quidem primò: quia datur causa per se utroq; modo tam ratione influxus quam intentionis, ita quoque dari causam per accidens exinde apparet. Sed ut clarius pateat veritas sumamus exemplum: sic verbi gratia: quis servum mittit in forum empturum papyrum, hic vero juxta iter male læditur, jam qui misit est causa ejus læsionis per accidens utroque modo, quia nec influit, nec intendit prorsus



fus, ideoque ei per se imputari haud potest, ast per accidens. Tantum ad hoc problema.

PROBLEMA VII.

*Casus & fortuna resp. effectus qualia sunt?*

Magna contentio orta est philosophis de casu & fortuna, quia nonnulli scriptitarunt easdem non esse veras causas, cum sic dicantur per accidens, ratione scilicet effectus. Verum hoc nihil ad rem; nam qui ratione effectus operatur, is etiam revera operatur & revera influit in rei esse causati. Quomodo id verum est quod effectum est, ita quoque falsum esse nequit ejus causam illud ipsum revera produxisse, quamvis per accidens. Unde hoc problema affirmamus; *non enim ob solum concursum effectorum, quasi nil agant & nil efficiant, casus & Fortuna dicuntur cause per accidens ratione effectorum, sed ob concomitantem effectorum productionem, quod in effecto per se intento alius simul insperatus efficiatur, qui fortuito & casu acciderat*, inquit Scharfius. Sed jam meæ pennæ rivuli claudendi, jam Cymbam meam portum reperisse video; ideoque tu altissime Deus si intellectus imbecillitas à re-cto tramite deflexit & tuam æternam conspurcavit gloriam quò condones benigne, supplex pectus adorat!



## SECTIO TERTIA.

ἁξιωματικὴ

Προϊωματα nonnulla miscella exhibens.

1. Rhetoricum: *Formae species tot sunt quot sunt species argumentorum oppositorum.*
2. Metaphysicum: *quinque sunt summa bonorum capita videlicet bonum transcendentate, spirituale, morale, naturale & artificiale.*
3. Pneumaticum: *Anima separata quamvis non sit suppositum, subsistit tamen.*
4. Physicum: *Virgae generantur in nube dissimiliter rara sole de se spargenteradios, ac significant pluviam jam jam imminentem.*
5. Arithmeticum: *Scriptiois & pronunciationis Arithm: ratio non est, una.*
6. Cosmographicum: *Circuli Cosmographici sunt notiones secundae.*
7. Uranometricum: *Stella & sidus apud Astronomos saepe pro uno sumuntur, saepe etiam differunt ut pars & totum.*
8. Geographicum: *Zone & Climata conveniunt forma, sed magnitudine, numero & officio differunt.*
9. Politicum: *in bruta animalia nullum cadit jus.*

Non Nobis Domine, non nobis, sed tuo nomini  
solus Deus & Christe gloria.

FINIS.

